

DISPVTAZIO JVRIDICA INAVGURALIS,
DE
ADVOCATO
FISCI,
EJVSQVE OFFICIO.

QVAM
DECRETO ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI & EXCELLENTISSIMI
JVRISCONSVLTORVM
ORDINIS.

IN ILLVSTRI HAC ACADEMIA
MARPVRGensi,

SVMMIS IN VTRQVE JVRE HONORIBVS ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS,
PUBLIGÆ AC SOLENNI

SENATVS ACADEMICI

CENSVRÆ SVB⁷ICIT,
AD DIEM AVG. M. DCC. XXVII.
H. L. C.


ARNOLDVS IKEN, Bremensis,

MARBVRG1 CATTORVM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.

DEO,
PATRIÆ,
PARENTIBVS,
PATRONIS,
AMICIS,

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
PIO ET HVMILLIMO OBSEQVIO

D. D. D.
AVTHOR.



I N D N I C.

PRÆFATIO.

CVM omnium fere moratoriorum gentium laudabili more receptum sit, ut antequam aliquis Titulum Doctoris capessere, aut exoptatum illud cultu[m] ascendere possit, in Academiis præmisso legitimo examine, thema aliquod eruditio[n]is suæ in publicum edat, ac testatum faciat, quantos in studiis fecerit progressus, & num legitime in numerum Doctorum receptor[um] sit, ego candem viam insistam, pro consequendis summis in utroque Jure honoribus. Materiam non ignobilem inauguralem, de Advocato Fisci ejusque officio elegi, cum ex Clementia Illustrissimæ Comitis Regentis in Bentheim, Steinfurth, &c. Domine meæ Clementissimæ, nec non Gratiissima Confirmatione Illustrissimi Domini Successoris Friderici, Caroli, Belgici, Comit. in Bentheim &c. Spartam Advocati Fisci per integrum Comitatum Steinfurensem ultra annum, gratiæ possideam. Quam gratiam devota semper exoscularo mente, & me meaque studia ulterius humillime commendando, nec deero pro viribus etiam, spartam quam natus sum proporro exornare; Lubentissime tamen agnosco imbecillitatem meam, in gravi hac materia pro dignitate exponenda. Satis habebo, de quo mihi gratuler, si Patriæ

A 2

Cha-

4


Charissimæ, Illust. Dn.Dn. Comitibus, Matri meæ dilectæ,
ac Cognatis optimis, ut & publico satisfecerim, meque omnino
non tempus, sumptusque quos in studia erogavi inutiliter
collocasse ostendam. Potuisse quidem cum Thrasone
quodam alieno arare vitulo, sed cogitavi, me non dissimi-
lem fore istius Graculi de quo PHÆDR. in fab. 3. Lib. 1.

Tumens inani Graculus superbia
Pennas, Pavonis quæ deciderant sustulit
Seque exornavit; Deinde contemnens suos,
Immiscuit Pavonum formoso gregi.
Illi impudenti pennas eripiuntur avi,
Fugantque rostris.

Nec non illide quo Clar. ZAVNSCHLIF. in Peric. Acad.
ad L. 57. ff. mand. in Epist. ad Consult. PAGENSTECH. Qui
ex umbria Doctor, aut fraterculus Gigantum (id e. ter-
ræ filius ignotus JUVEN. Satyr. 4. v. 98.) cuius fama ut
Præfecti Urbis potestas L. ult. ff. de Offic. P. Urb. ultra ur-
bem se se non extenderet; Qui ad Titulum Juris Cano-
nici de Frigidis & Maleficiatis pertineret, aut fieret Profes-
tor in actu signato, non in actu exercito, secundum dici
non secundum esse, annua bima trima die legeret pu-
blice, disputans nunquam nisi cum rixosa sua Juno-
ne &c.

Ideo errores si qui irrepserint, aut condonabit B. L.
aut si quid subtiliorem requirat limam, ipsem artificiosam
manum admoveare non gravabitur. Uno verbo, quicquid
mea deerit facultati, suo favore supplere velit rogo.

Ey-



Etymologia Fisci.



E vero in ipso principio inspingam, antequam tem ipsam aggrediar, juxta ULP. doctrinam in L. i. pr. ff. de J. & J. ut & PAVL. L. i. pr. ff. de A. vel A. pess. prius quid verba significant, inspicendum erit, licet potior rerum haberi soleat ratio L. 7. inf. ff. de supill. leg. L. i. ff. de reb. cred.

Dicitur autem Fiscus quasi fixus, eo quod semper sit solvendo & idoneus L. 2. ff. de fund. dot. vel quod sit stabilis nec unquam moriatur. PEREGR. de I. F. l. i. c. i. n. 37. Fiscus saccus est publicus, unde & Fisci, Fiscellæ & Fiscinæ dicuntur; apprime PHOEDR. l. 2. fab. 7.

Muli gravati sarcinis ibant duo,
Unus ferebat Fiscos cum pecunia.

Sive à Fiscis nam fiscinæ & fiscellæ spartea sunt utensilia ad majoris summae pecunias capiendas GAIL. lib. 1. obs. 20. n. 3. Ætarium enim reipublicæ est die Geld-Casse, Rent-Chammer. Sub libera quippe republica, distinctione intur Fiscum & Ætarium erat incognita, hinc SVET.

in Claud. c. 18. positis ante secum pecunia fiscis. Fiscus est
quasi vas quoddam capacius, Cophinus, spora seu loculus
Clar. LYNCKER in anal. ad synt. J. C. STRV. l. 49. t. 14.
tbes. 32. WISSEN. ad ff. disp. 39. thes. 1. differt autem Fi-
scus ab æratio, quod æratum post occupatam rem publ.
fuerit populi, Fiscus autem Principis l. 1. §. 4 ff. ne quid
in loc. publ. Sicuti exemplo nobili declaratur ap. PLIN.
Traj. at fortasse non eadem severitate Fiscum qua ærari-
um cohibus: Ino tanto majore, quanto plus tibi licere de-
TVO, quam de PVBLICO credis, & SENE. de Ira l. 7. c.
6. Cæsar omnia habet, Fiscus ejus privatat tantum ac sua,
& universa in imperio ejus sunt, in Fisco propria. Ast
quia major summa est pecunia publica quam privata, fa-
ctum est ut Fiscus pro pecunia publica & inde confiscare
dicatur, ut docet Asco. PEDIAN. Vide etiam BVDAEVVM ad
tit. de offic. quest. Procedente etiam tempore sub Im-
peratoribus Græcis, hæc inter Fiscum & Æratum distinc-
tio extincta l. 2. inf. de offic. Com. Sac. Pal.

Fiscus civili sensu definitur seu describitur, Universi-
tas quadam seu patrimonium ipsius Principis (qui sum-
mam habet Majestatem in republica) comprehendens va-
rias utilitates & jura Principi qua tali competentia: unde
res Fiscales dicuntur, quasi propriæ & privatae ipsius Prin-
cipis qua talis l. 2. §. 4 ff. ne quid in loc. publ. Proprie enim
in Patrimonio Principis non sunt: quæ causa, quod locus
Cæsar, de quo fit sermo in §. 39. J. de rer. div. desertè op-
ponatur loco fisci, nec non quod duo Comites facti sint,
unus qui substantia fisci præfasset, alter qui propriæ: Hic
Comes rerum privatatum; Ille Comes Sacrum Largi-
tionum frequentius salutatur tit. C. de offic. Com. Sacr.
Larg.

De

De Advocatis in genere.

Cognita Fisci definitione paucis etiam considerandum est vocabulum Advocati. Originem trahit à verbo ad-voco, quod significat aliquem ad se vocare alicujus rei gratia, uti occurrit in l. 18 ff. rem. rat. hab. & dicitur is qui desiderium suum, vel amici, in jure apud cum qui juris-dictioni præcepit exponit, vel alterius desiderio contradicit l. 1. §. 2. ff. de postul. vel proptie qui præscripta litigandi for-mula defendit eos à quibus consulitur; ULP. in l. 1. §. 11. ff. de extraord. cogn. dicit Advocatos accipere debemus omnes omnino, qui causis agendis quoque studio operan-tur; Interdum etiam dicuntur Patroni causarum l. 5. C. de Adv. div. jud. l. 1. §. 4. ff. de postul. item Togati l. 3. & 15. c. de Adv. div. jud. Celeb. ZAVNSHLIF. in dissert. de mi-lite tog. CAVSIDICI l. 6. C. de postul. ut & Oratores Maxi-mi, Justitiæ Satellites & Judiciorum Athleta optimi §. 6. Conſt. omnem reip. ff. de concept. digest.

Veterum temporibus fuit quædam differentia inter Patronos & Advocatos; Illi causas in foro agebant; Hi Advocati in consilium sollicitabant, quod & Romanæ eloquentiæ Princeps pro Cluent. cap. 40. narrat ad LAVR. VALL. l. 4. c. 12. Elegans. Qui hanc addit differentiam, quod Patronus propriè sit qui agit causam, sed accusati non accusantis, Advocatus vero appelletur etiamsi nihil dicat neque agat sed tantum paratus sit defendere. Hodie au-tem his nominibus abutimur & pro iisdem habemus; Sic advocamus Patronum ut agar litem nostram; invocamus Judicem; vocamus adversarium; evocamus testem cuius distinctionis mentionem facit CVJAC. in Paratit. c. de Adv. div. jud.

Patroni munus apud anticos prudentissimos Romanos omnium rerum arbitros, prorsus vile & abjectum, è contra Advocati officium minime vile & abjectum videtur fuisse, sed laudabile potius viæque hominum necessarium extitisse, attestatur ANASTASIVS Imperator in l. 4. C. de Adv. div. jud. dum dicit principalibus præmiis opertere remunerari. Sed & IUSTINIANVS Augustus viros Clarissimos & Eloquentæ lumina non veretur eos appellare l. 6. pr. C. cod. Quid? Imperatores LEO & ANTHREMIVS eos militibus comparandos censem in l. 14. c. d. t. Quorum verba ob excellentiam adscribere operæ pretium esse judicavi: *Advocati, inquiunt, qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensionis viribus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam si præliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent.* Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam Advocatos: Militant namque causarum Patroni, qui gloriose vocis consueta munimine, laborantium spem, vitam & posteros defensunt.

Huc alludit CICERO in somn. Scip. quod majoribus sint afficiendi præmiis atque honoribus Togati hi milites, quam ipsi armati, cum bella haud satis feliciter foris gerantur, nisi sedatis domi discordiis civilibus, & concordia inter domesticos procurata plantataque. Profecto si altiore mentis trutina dictum Ciceronis nec non Legum verba perpendamus, comparisonem inter bellum & judicium verissimam fore animadvertemus:

Quid quoque! similius bello quam lis & judicium: in bello deliguntur Duces, in judicio Advocati, ibi Dux sub

9

sub se habet milites, hic Advocatos, Procuratores: bellum
movetur ex variis causis, hic ex iisdem: in bello vigilantis
opus: nonne vigilantibus jura sunt scripta? Utrobique
pro aris & focis farras tectis conservandis pugnatur, hic
pecuna, ibi bipenni, hic legibus, ibi legionibus, hic ex atra-
mentario; Armati ferramentis, Togati argumentis: Arma-
ti pilo, Togati stylo: Armati missilibus, Togati consiliis: Ar-
mati hastis, Togati astu militant: hic verbis ibi verberi-
bus: denique hic arte, ibi Marte; Neque tamen hanc
comparationem mihi adscribo, sed Professori & Præcce-
ptori meo in æternum venerando DN. ORTWIN. WESTEN-
BERGIO, Lugduni Batavorum Professore Excellentissimo,
cui studiorum meorum profectus maxima ex parte me de-
bere, lubens agnosco, ne in crimen plagii incidam, alienisque
plumis me exornem; ab eo enim in privatis collegiis cana-
hausi & retinui. Et quid aliud Tullius pro Murena in-
nuere vult, Advocatus de nocte vigilat quo suis consulto-
ribus respondeat; Sic miles ut mature quo intendit ve-
niat: illum gallorum, hunc buccinæ cantus exuscitat, il-
le actionem instituit, hic aciem instituit, ille cavit, ne sui
Consultores, hic ne Castra aut urbes capiantur: illescit ut
aque pluviae, hic ut hostium copiae arceantur.

De Advocate Fisci.

Hac in genere de Advocatis præmissa sufficiunt: pro-
peremus ad Advocatum Fisci, qui etiam variis solet
insigniri nominibus. Sic Patronus Fisci audit l. 13. C. de
Adv. div. jud. l. 4. § 6. & l. 5. pr. C. de Adv. 2. & passim:
dicitur & Advocatus, Fisci t. t. C. de Adv. F. Officium co-
rum Patronatus Fisci l. 17. pr. C. de Advoc. div. J. l. 3. §. f.
C. de Adv. 2. Advocatio Fisci l. 4. C. Theod. de appell.

B

Patro-

Patrocinium rerum Fiscalium l. 7. §. 4. inf. C. de Adv. s.
 Patroni ætarii l. 8. C. cod. Defensores Fisci l. 3. C. Theod.
 de delat. vocantur Syndici in causis criminalibus uti de-
 monstrat CARPZ. in proe. jur. tit. 5. art. 4. n. 17. dum di-
 cit: *sive enim Syndicūm sive Fiscalem eum quis nuncupa-*
verit parum errabit & in effectu constitutus erit Syn-
dicus.

Cui competit jus constituendi Fiscum ejus-
 que Advocatum.

Constituitur autem Fiscus & ipsius Advocatus, directè
 à Principe nec non iis qui jure territoriali gaudent,
 KLOCK. vol. 1. conf. 22. n. 55. adeoque regalibus recte an-
 numeratur, sic ut argumentari licet: cui concessa sunt
 regalia, illi quoque jura Fiscalea concessa intelliguntur
 CRAVETT. conf. 128. n. 4. sive cui non competit potestas
 territorialis ei nec jus constituendi Fiscum PEREGR. de J.
 F. l. 1. c. 2. n. 104. Vi hujus territorialis Jurisdictionis
 Marcus Antoninus Philosophus tradente Julio Capitolino
 primum Patronum Fisci constituit, GAIL. l. 1. obs. 20. n. 3.

Quid ergo de civitatibus superioribus recognoscen-
 tibus seu municipalibus statuemus. Sane etsi negari ne-
 queat, nonnullas civitates mediate imperio subjectas con-
 fuetudine vel privilegio jus Fisci imprestasse, ut testantur
 DD. CRANTZ vol. 4. varior. JCt. Germ. conf. 4. n. 24.
 RICHTER dec. 33. n. 4 propriè tamen ipsis jus Fisci assigna-
 ri non potest, quoniam Principis beneficio non ex propria
 persona eo jure gaudent; nec refragatur, quasdam civi-
 tates municipales meto & mixto imperio gaudere: Nam
 exinde plane non sequitur, his iura Fisci assignanda fore, ea
 enim

enim illatio absurda esset: cœteroquin sequeretur, quod omnis, iste qui pollet mero & mixto imperio haberet iuria territorialia, quod nequidem per somnium ulli in mente venit: nihil siquidem commune habet cum Fisci iure ZAHN de J. munic. l. 2. c. 49. n. 18. quod præjudicis confirmat MEV. p. 5. dec. 322. add. COTHEM. vol. 2. Reß. 55. n. 42. Verum enim vero licet municipia Fiscum non habeant, tamen bursam seu cassam communem habent ZAHN. de t. munio. c. 2. 42. n. 2. MEV. ad ius Lub. p. 123. & inde à majori ad minus ita argumentantur: Quodcunque Fisco Principis non licet, illud multo minus bursæ municipiorum erit licitum, alleg. ZAHN. d. tr. c. 55. n. 4.

Quod si tamen civitas quædam privilegio, consuetudine, aut immemoriali tempore, sibi jura fiscalia comparaverit, poteritne Princeps hæc ei adimere? Verum quidem est subditorum privilegia esse velut spinas, quæ Imperantium imperia velut oculos confodiunt, attamen non poterit Princeps jure hæc privilegia iis adimere nisi forte bello sibi subditos faciat, aut in poenam adimat.

In sensu autem maxime impropprio, ad jura fisci referunt cuiuslibet collegii seu corporis pecunia communis, quæ & appellatur Fiscus, quam Opifices in vernaculo idiomate salutant, die Lade der Gilde und Zunft / Raſten. Quando semet invicem condemnant ad certam pecuniae summam Fisco communitatis exsolvendam, usitata hæc inter eos formula id efferre consueverunt: Daß Cajus um seines Verbrechens und Handlung wider die Articeln, so und so viel der Gilde-Lade zu erlegen schuldig/ quod per experientiam in omnibus ferme locis constat. Cum autem Regalia sint duplia

112

majora & minora, quid dicemus? an Fiscum ad Regalia
majora an minorata referemus? Ad minorata cum Dn, Msv.
p.s. dec. 101. ea referenda putamus; tendunt quippe minora,
ad utilitatem sive ad Fiscum reipubl. conservandum, tot. tit.
ff. & C. de J. I. BOGER. de Regal. 3. n. 6. Ut enim status
publicus conservetur, & cives commode degant, Fisco opus
est, uti argumentis satis stringentibus confirmat Impera-
tor Justinianus, in Nov. 8. c. 10. cum dicit propter inevita-
bilem Fiscalium exactionem &c.

An & Ecclesiæ jura Fisci tribuemus? Affirm. de Ju-
re Can. per c. 10. X. de cler. n. m. resid. & glos. ad c. 5. X. de
conces. præb. lit. q. imo ipsa Ecclesia pro Fisco in c. 27.
X. de sentent. excomm. Id alii extendunt ad scholas, Xe-
nodoxia & alia pia corpora v. KOPP. conf. 40. n. 52. &
seqq. An autem recte? v. KLOCK. de contrib. c. 81. n. 176.
seqq. Est insuper Fiscus imperii & Imperatoris generalis,
qui totum respicit Imperium: cum vero non sim istius
intentionis de ipso agere inspecie, hinc remitto Lecto-
rem ad RHET. J.t. Publ. 1. tit. 4. & seqq.

Quæ sint requisita Advocati, ut & Advo- caci Fisci.

VIdimus quis possit constituere Advocatum Fisci, sequi-
tur ut de requisitis quædam subjiciamus. Requiritur
ad ipsius officium 1) ut solidis juris fundamentis sit imbutus:
I. I. f. t. C. de Adv. 1. 2) ut per quinquennium studiis o-
peram dederit S. 5. ff. de concept. digest. const. omniem:
quod tamen hodie non amplius attenditur, sed quam lau-
biliter

biliter in Musarum castris quis militaverit BRYNN. l. 3, §. 4.
c. de Adv. div. jud. Hinc in Camera Imperiali in Numerum Assessorum quoque recipiuntur, qui quinquennium non absolverunt, dum modo in approbata Germaniae in Academia studiis operam dederint, *Rec. imp. de An. 1654. §. 28.* Quod & in Advocatis Cameræ per decretem Camerae receptum *de d. 30. Sept. 1627.* turpe vero esset causas oranti jus in quo versatur ignorare *l. 2. §. 43. ff. de O. J. 3)* Debet esse instrumentum testimonio Academico de fiducia studiorum, quod hodie fit per diploma Doctorale, durch die Doctoribus aut à Facultate quadam Juridica : deinde recipitur à Judice vel qui Jurisdictioni praest, in numerum Advocatorum praesito juramento.

Dividuntur in Ordinarios & Extraordinarios ; Ordinarii dicuntur illi, qui in numerum constitutorum sunt recepti, veluti in Electoratu Brandenburgico ubi certus numerus est praefixus aliisque locis ; Extraordinarii vel supernumerarii sunt illi de quibus Imperator mentionem facit, in *l. 11. §. 1. int. C. de Adv. 1. & l. 13. C. eod.* Hæc tam in Advocatis privatis, quam Fisci requiruntur, ut & præterea integritas, modestia, & prudentia. Integritas tam in causa suscipienda quam defendenda merito spectatur, quia causam malam suscipere, & apparenter bonam, si eam improbam esse cognoverint, defendere prohibentur. Ipsum jus civile idcirco pro compescenda Advocatorum temeritate disposuit, ut in singulis causis post litis contestationem juramentum calumniarum subire obstricti fuerint Advocati *l. 14. §. 1. C. de jud. §. 1. J. de pæn. tem. litig. l. 2. ff. de Ju- rej. propt. calumn.*

Hodie vero dum assumuntur, initio muneric, ejus-

B 3

modi

modi juramentum præstant, ZOES. ad tit. ff. de postul. n. 2.
 & præcipue per recess. Imp. de Ao. 1654. §. 43. Über diß
 verordnen wir ic. Merito tamen improbamus constitu-
 tiones Provinciales, quæ singulis annis Juramenti reitera-
 tionem, in forma solenni requirunt, exigunt, & efflagi-
 at, eo quod jus nostrum omnes actus frustratorios respu-
 at. In Saxonia juramentum calumniae generale in prin-
 cipio litis alias præstandum abrogatum est, ut nequidem
 partibus deferri possit. CARPZ. in proc. Jur. Civ. tit. 12.
 art. 1. n 7. seqq. videtur tamen eius vicem sufficienter sup-
 plere juramentum ab Advocatis in receptione eorum præ-
 standum, dum jurate tenentur; Daß sie keine Sache/ es
 seye dann / daß derselben Beschaffenheit von ihnen
 wohl erwogen / diejenige aber / die sie böse und unges-
 gründet befinden / gleich Anfangs von sich weisen wol-
 len. Adeoque fallacias, fraudulentas cautelas & men-
 dacia, adhibere ipsis vi juramenti interdictum est, quod
 & sacrae comprobant literæ arg. Matth. 5. n. 33. Ut nec
 Adversatio malis technis utenti, iisdem occurrant: quia
 ipsius delictum non potest efficere delictum Advocati
 licitum, teste VITRIAR. ad Inst. §. 197. de offic. jud. Nec
 causam clientis prodere l. 1. §. 1. ff. de Prævar. l. 8. ff. de
 extraord. crim. nec suscepto patrocinio unius in castra al-
 terius transire licet, arg. l. 1. §. 6. ad L. Corn. defals. v. l.
 17. ff. de Jure Patron.

Modestia in eo consistit, ut Advocati ita præbeant
 patrocinia jurgantibus, ne in conviciendi licentiam pro-
 rompant, & si non nulla ipsis objiciantur convitia perpen-
 dant illud SENECAE lib. 4. de virt. Si Magnanimus fuerit,
 nunquam judicabis tibi contumeliam fieri &c. & quod ju-
 ribus non convitiis pugnandum sit. Agant quod causa
 desi-

desiderat; temperent se ab injuria, nam si quis adeo provocax fuerit, ut non ratione sed probris putet esse certandum opinionis suæ imminutionem patietur *l. 6. §. 1. C.* de postul. & Rabularum instar erit, juxta illud *Lvcil. apud LACTANT. lib. 5.* *Rabularum iste venalis grex, huic uni solent studio se dedere & arti, verba dare, ut caute possint pugnare dolose, Blanditia certare, bonos simulare viros se, insidias facere, ac si hostes sint omnibus omnes: quorum vaniloquas linguis praecidendas esse tradit,* *BERN. l. 2. confid. ad Eugen.*

Quo ad prudentiam, maxime requiritur ut ad merita causarum animum probe advertant, eoque omnes juris & facti probationes, oratione brevia ac clara dirigant, nec multitudine allegationum chartas impleant, sed breviter & nervose adcausam facientia proponant, neque abundantur lingua latina v. *Hoch-Gräffl. B. L. O. iii. von Advocaten in f.* Damit Richtere und Schaffen und die Partheyen selbe merita causarum und rechtliche Nothz durfft und Producten verstehen mögen / sollen die Advocaten die Lateinsche Sprache scharsam gebrauchen.

Potro ne protrahant item sive iugium *l. 9. §. 2. ff. de offic. Proc.* nam hi olim Rabulae ac moratores dicebantur, ut memorat *CvjAC. l. 4. C. 40.* ut & Clar. *Dn. ZAVNSCHLIFFRVS in differt. de milite tog.* Quis nisi in Germania peregrinus nescit tam immanem in ea Rabularum esse multitudinem, quanta muscarum, pulicum, culicum & id genus bestiolarum divexandis hominibus natum in æstate: & paulo post dicit cum teste quodam Gallo, quantus talium Rabularum sit numerus in Gallia: in unica Gallia Luteria plures sint Rabulae, quam in universa Germania, quæ tamen duabus partibus Gallia regno
major

major est. Sic loquitur cit. Celebr. ZAVNSCHLIF, de istis Rabulis: quia ut in Græcis artificibus Cytharædi fieri non possunt, Aulædisiunt, (Cic. pro Muræna) dum maiores desperant honores, & simul durum domesticæ necessitatis telum stimulat, ad munus Procuraturæ, primo se conferunt, & aliorum scripta describunt, processu temporis cum jam aliquid in præxi observarunt, tum station ad advocandum prosiliunt v. alleg. HILIROB. proc. p. 1. t. 19. n. 42. Hanc præxin nudam & circumforaneam vocant, (& quid quæso absque fundamentis Academicis valeret?). Interdum scripta non absque Theseo & ex alicno jecore elaborant, atque hastas ab aliis emanatas in adversam partem torquent, idque levissimo pretio, & sive causa sit pessima sive optima. Ex post desperatio & stultitia se hausit se dictitat ut inhient ad Magnificum titulum Doctoralem, non per templum virtutis sed opis ad honoris ædem ire volunt. O Doctores! inquam Legum Dolores! Qui plura de hac materia desiderat audeat d. tract. de milit. tog. ubi inveniet istius generis hominum descriptiones.

Dicatum est supra Advocatum F. dividi in Generalem & Particularem; Ille dicitur qui Generali & Imperii Fisco patrocinatur, & saepius in recess. imp. & ordin. Cam. appellatur Procurator Fiscalis Generalis, Kaiserlicher Fiscal, it. unser und des Heil. Reichs Fiscal &c. Hie qui à Statibus imperii vel à quolibet jura Fisci exercente ad patrocinandum constituitur, in quo boni Advocati requisita quam maxime postulamus & desideramus, & quidni? Anne Patronum Fisci olim ex Advocatorum gremio se ligebant? 1. s. pr. C. de Adv. 2. Nonne publica majorem postulant cutam, fidem, prudentiam & diligentiam praeteribus privatis? Sic est: publica ideo privatis in omni iuto præ-

præferuntur, hue collimat illud TAC. TI. *Habet aliquid ex
iniquo omne magnum exemplum, quod utilitate publica
rependitur.* jung. GROT. de J.B. ac P. I. I. C. 4. §. 4 n. 4.
Ubi late nostram confirmat sententiam; Ut & illud AV-
TONII *Parental.* in Latinum Euronium Advocatum quon-
dam Fisci, qui nitido satis colore eum depingit dum di-
cit:

Ore decens, bonus ingenio, facundus & omni,

Dexteritate vigens, præcipuu que fide,

Hoc prætexturæ sedes, hoc Illyris ora,

Præside te experta est; Fiscu & ipse Cliens.

Sunt & aliæ qualitates in Advocate Fisci spectandæ,
nimisimum innocentia morum, ne virtus quæ alii objicit in ipso
deprehendantur; Literarum peritia sit instruatus, ne scil.
per ignorantiam quid admittat, quod publico ad privatibus
damnum pariat; Quibusdam in locis etiam requiriunt ut
sit graduatus; Obstrictus sit iuramento.

Caveat Fisci Advocatus poenas metuens ne fiscalia
commoda occultet, neve ullo negotio existente, Fisci no-
mine privatis columnias inferat, nec commoda Fisci dis-
simulet, ne privatos vexet, aut prætextu Fiscalium lites
suas exerceat, arg. I.6.9. §. 6. ff. de adm. tut. coeteroquin
exinde nascetur injuriarum occasio I.6. pr. C. unde vi.
Quem insinem Generali Imperii Fisci à judice & Assess-
toribus Cameræ duo Assessores tanquam Deputati adjun-
guntur, quibus in seculis aut non consentientibus, neminem
ex causa fisci seu civili convenire potest v. O. Cam. p. t.t.
16. §. 1. Si contra fecerit expensas parti adversæ ex pro-
pria restituere obstrictus aliisque poenis coeretur.

¶ 13 ¶

Coram quo Judice Causæ Fiscales sint
ventilandæ.

H[ab]it perspectis pauca de foro ubi res fiscales ventilari debent subjungenda sunt; hoc loco, puta in Comitatu Steinfurensi summariter de iis cognoscitur vor der Hoch-Gräffl. Amt-Stube/ à qua fit remissio ad judicium Aulicum, vulgo Hof-Gericht / si reus nolit confiteri, aut res causæ desideret cognitionem, idque sine distinctione utrum causa sit civilis an criminalis: siveque coram inferiore judicio lites istæ ventilari non possunt, propter incompetentiā notoriā; Procedit autem Fiscus vel criminaliter vel civiliter; Causæ civiles sunt, quando ex jure in re vel ex jure obligationis Fiscus actionem suam instituit, in quibus regulariter summarie proceditur, nisi altiorem indaginem requirant, & contradictione partis in dubium vocentur, ut exempla extant in l. 3. C. de convenient. F. deb. l. 7. C. de J. F. ut & GAIL. lib. 1. obf. 20. n. 5. 6. 7. 8. Criminalis autem quando ex delicto ad poenam afflictivam corporis aut ad poenam pecuniariam seu multatam agit GAIL. l. 1. O. 65. n. 4. add. Mev. p. 2. d. 302. n. 4.

Officium Fisci circa acquisitionem in causis civilibus.

Q[uod]o ad acquisitionem ei 1) incumbit ut circa Regalia nonnulla minora oculum habeat ad ea tuenda. 2) Vindicit bona vacantia quæ Dominum non habent, qualia sunt eorum qui sine ulla heredibus ab intestato aut testamento existentibus deceidunt l. 1. § 2. ff. de J. F. l. 1. & t. t. C. de bon. vac. germanicè erblose Gúther dicuntur, ex

ex iis tamen satisfacere creditoribus defuncti, ob et alie-
num tenetur l. 11. l. 17. ff. de J. F. ut pote qui certant de
damno vitando, Fiscus vero de lucro captando; occupet
deserta & inculta l. 1. C. de bon. damn. Ut & creptitia quæ
indignis auferuntur, v. g. si quis aliquem testari pro-
hibuerit aut coegerit KLOCK. de aerario l. 2. C. & t. t. ff.
& C. de his qui ut indign. Commissa & res nullius,
quatenus hodie Principes haec suo Fisco adscriperunt, quo
communiter Alluviones, Insulae, pescationes etiam refe-
runtur, ut sequelæ & appendices fluminum VENN. Comm. ad
§. 20. J. de Rer. div. n. 7. nisi consuetudine aliud fuerit re-
ceptum, ut ex variis præjudicis in Comitatu Benthei-
mensi observatum nemini. Huc referemus Thesauri inven-
tionem fortuitam, in loco publico vel religioso, & Fisco
ob justam causam non statim indicatam l. 1. pr. ff de J. F.
Indigitamus autem talem locum religiosum in quo Fiscus
jus habet, aut qui Fisci quodammodo est, puta quod ad
Fiscum forte pervenerat l. 6. ff. de J. F. non qui in fun-
do alicuius privati est, de quo §. 39. J. de rer. div. loqui-
tur, quod talis thesaurus inventus, inventor rotus cedat.
Quid autem de moribus dicendum? An statuendum cum
GROTI J. B. ac P. l. 1. C. 8. §. 7. thesauros quoconque
in loco repertos Fisco nunc cedere, privatisque nihil juris
in his amplius competere? Merito dubitamus, tam propter
incertam praxin quam quod nonnulli DD. jus commune
in imperio nostro plerique in provinciis adhuc vigere sta-
tuant v. HOPP. comm. J. ad §. 39. J. de rer. div. ibique
in usu moderno.

Petit & jus detractionis de bonis alio migrantium, v.
R. l. de An. 1555. §. 24. & RHET. ad Inst. J. P. l. 2. t. 14.
§. 1. An vero hoc jus detractionis soli Principi competit ju-

C 2 re

re Regalium, an & civit. municip. operose non inquiram.
Hoc certissimum est, detractionis jus de consuetudine exi-
gi, & exerceri ab omni eo qui jurisdictione praeditus & mu-
nitus est, cum sint fructus jurisdictionis GAIL. l. 2. obs. 36.
n. 10. Cotum, cons. Aead. 19. n. 11. adeoque regalibus an-
numerari nequit, nec municipales ab eo jure arcentur, ita
tamen ne decimationes plus aequo excedant; Inspici-
endae sunt consuetudines & statuta locorum, sic in Mat-
chia quindena dari solet, BRVNN. ad L. F. C. de Ed. Diu-
Hadr. toll. in aliis locis quarta decima &c.

Officium Fisci circa Conservationem.

Ad vocatus Fisci 1) reos in causa fiscalis civilis cogere
potest ut edant instrumenta l. 2. §. 12. ff. de J. F. adeo
ut in Camera ad eum effectum, ei quoque compulsoria-
les dentur in causis exemptionum & contributionum GALL.
l. 1 obs. 106. n. 11.

2) Debitorem debitoris sui convenire potest, nulla
nominis cessione facta, quod secus est de jure communis,
quo nemini sine cessione actio queritur l. 2. C. de hered.
vel aff. vend. ita tamen Fisco hoc indulgetur, si Princi-
palis debitor deficiat, aut solvendo non fuerit, quia ceteroquin
Fiscus erubescit alienum quid petere l. 2. §. ff. de
J. F. quoniam electionem non habet l. 1. ff. de cono. F. deb.
l. 47. ff. de J. F. vel ex ratione Fisci nomina facta liquido
probentur, vel ex contractu fiscalis debitores tenentur l.
3. l. 4. C. quand. F. vel priv. deb. l. 2. §. 8. ff. de J. F. l. 1.
C. de cond. ex lege. Manent tamen debitorum ex exceptiones
qua contra creditori competebant, M. V. p. 8. dec. 240.
succedit enīma Fiscus in ius privatorum adeoque privato
fruitur & ex petitur iure l. 6. ff. de J. F. non alio. 3. Ubi

3.) Ubi Fiscus vendidit rem alienam & convenitur ab emperore nomine evictionis praestandæ, aut promissi dupla aut tripli, à procuratore suo, pro evictione nihil praefat ultra simplum l. s. pr. ff. de j. F. SCHUTZ, comp. Lauterh. tit. ff. de j. F. p. m. 730. ad quod regulariter alias venditor tenetur l. 9. C. de evict.

4.) Vitia rerum scire non cogitur à se venditarum: hinc pati ædilitium edictum necesse non habet, procul dubio quoniam iurisdictio ædilium se ferme ad eum non extendit, favor tamen iste hodie vix attenditur.

5.) Quod semper habeat jus pignoris ex causa tributorum & suorum contractuum non ex aliis causis l. 7. C. de privil. F. l. 46, §. 3 ff. de j. F. adeoque non in poenis l. 27. 37 ff. d. t. Quin & jure prælationis gaudet, in bonis scilicet post contractum non ante quæsitis l. 28 ff. cod. graviter tamen videtur obstat l. 21. ff. qui pot. in pign. sed Bz. quod in hac L. Fisco cum privilegiata persona Seja quæ fuit minor 25 annis: adeoque exceptio continetur in d. l. 21. quæ firmat regulam in causibus non exceptis.

6.) Non semper contra eum admittitur compensatio l. 46. §. 4 ff. de j. F. Sed qui compensationem opponit Fisco intra duos menses debitum sibi docere debet, alioquin compensatio non admittitur, excepta causa tributoria & stipendiorum: item pretio rei à Fisco empræ, & quod ex causa annonaria debetur, in quibus compensatio plane non admittitur l. 1. 3. C. de compens.

7.) Fiscus pro suo interesse interveniens integrum causam coram alio judice exceptam trahit ad superiorius judicium, eo quod habet judicem proptimum & specialem Procuratorem, nempe Cæsaris tot. t. C. ob caus. F. in absentia vero hujus Praesidei. Quid vero moribus obtineat docet

docet Practicantium Dictator Mev. p. 4. dec. 185. n. 4. &
supra à nobis adductum est.

8) Quod si quid in fraudem Fisci alienatum sit cum
altero tanto revocatur l. 46. §. 1. ff. de f. F. hoc est res
ipsa & præterea aestimatio præstati debet BRVNN. ad
d. l.

9) Quod emptor rei fiscalis locationi à Fisco factæ sta-
re debat l. ult. ff. de f. F. & conductores vestigium in
conductione olim inviti retineri potuerint l. ult. §. ult. de
Publican. & vedi. Quod tamen correctum esse vide-
tur per l. 3. §. 6. ff. de f. F.

10) Quod nunquam satis dare cogatur l. 1. §. 18. ff.
ut leg. nom. cav. nam semper censetur esse dives.

11) Quod feriato die in rebus fiscalibus possit judica-
ti l. 5. pr. C. deferri. Denique quod causa civiles intra
tres menses à litis contestationis tempore sint finiendæ, ex-
ceptis criminalibus l. 2. §. 2. ff. de f. F. Quod si Fiscus aut
privatus heredes sint instituti, hic autem post aditam hæ-
reditatem impensas in eam adhuc communem bona fide
fecerit, poteritne eas cum usuris ex mora à Fisco instituta,
familiaæ erescundæ actione repetere? Rz. Officium Ad-
vocati Fisci erat harum usuraræm petitorem exceptione re-
pellere: ratio fundata in generalitate textus l. 17. §. 1. 6. ff.
de usur. Quod scil. uti Fiscus ex suis contractibus usuras
non dat sed ipse accipit t. t. C. de F. usur. ita nec ex hoc
quasi contractu arg. l. 16. ff. de neg. gest. Usuras impen-
sarum licet ex mora, neutiquam debet; Hæc de causis ci-
vilibus dicta sufficient cum brevitatisti studendum sit; con-
fero itaque me ad

Offi.

Officium Fisci circa criminalia.

Cum corrupta hominis natura semper in malum inclinet, juxta illud vulgare; *nitimus invenitum semper cupimusque negata;* frenum cupiditatibus hominum injiciendum erat, quo à malo desisterent, quod fit legibus, prœmiis & poenis. GROT. de J. B. ac P. l. 2. C. 20. §. 7. quo respicit illud LACTANTIUS l. 6. c. 19. *Iubet Deus ut manus nostras super minores semper habeamus, hoc est ut peccantes eos, assiduis verberibus corrigamus, ne amore inutili & indulgentia nimia educentur ad malum, & ad vitia nutriantur: nec non illud Chrysostomi Nisi Reatores civitatum essent, ferociorem feris viveremus vitam, non mordentes, sed & vocantes alios atque alios; Malitia ergo hominum poenis coercetur, poena autem est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis.*

Quomodo vero in gravioribus delictis contra Principem seu rempublicam commissis, Advocatus Fisci sese gerere debeat, primo loco examinabimus & trutinabimus; Ast cum hæc sint duplicita nimirum crimen perduellionis & Læsa Majestatis, dicamus prius quale in crimine Perduellionis (quod adversus Princepem seu rem publicam hostili animo committitur l. ult. ff. ad l. 7. Jul. Maj. quo pertinent conjurations ad evertendam rempublicam, nec non in necem & perniciem Principis directæ.) Advocati Fisci officium sit; Faciat igitur ille conclusionem seu perat ut tam ipse reus quam istius delicti conscius, poena gladii, aliisque ultimo suppicio afficiantur l. 5. pr. l. 6. C. d. t. & memoria eorum post mortem damnetur §. 3. §. de publ. jud. l. 6. 7. 8. C. ad l. 7. M. Nov. 17. C. 12. Statuae aliaque honoris insignia detrahantur l. 24. ff. de poen. domusque ditua-

diruatur; liberis quoque ex paterno delicto perpetua in-
 hæreat infamia, & hæreditas ipsius vindicetur à Fisco l.
 ult. f. l. 5. §. 4. C. ad L. J.M. Qæ poena & antea apud
 Romanos obtinuisse videtur, testantibus DION. CASSIO l.
 27. Perduellionis reos in Campo Martio fuisse cruci affi-
 xos, ut & l. 37. in Reos conspirationis Catilinarie, ex sen-
 tentia Catonis, Iulii Cæsaris & aliorum Senatorum, ca-
 pitali suppicio fuisse animadversos habitio primo precibus
 & litationibus: nec non PAVLO JCt. in l. 38. §. 1. ff. de
 poen. l. 8. §. 2 ff. cod. cuius tempore transfugas ad ho-
 litas vel consiliorum proditores vel hostes Patriæ, humili-
 ores bestiis objectos fuisse, cruci affixos vel vivos exustos,
 honestiores capite truncatos constat; licet non negem
 notinulos DD. statuere, quod exactis Roman. Regibus
 poena tantum fuerit aquæ & ignis interdictionis, quam
 suspicionem etiam Cic. pro Rab. auget, dum dicit; *An de-*
civibus Romanis contra L. Porciam necatis? Probabile
 tamen non est Legem Porciam indistincte sancivisse, ne
 quis civis Romanus capite plecteretur, sed ne id fieret in-
 iusus aut inconsulto populo. Hodie in Const. Crim. Car.
 V. art. 1. 4. pro sexus diversitate, diversa quoque suppli-
 cii genera sunt constituta, viris quidem dilectio in qua-
 tuor partes, quandoque decollatio: mulieribus vero suffo-
 catio in aquis, una cum protractione per caudam equi vel
 forcipis igniti adustione: confiscatio insuper bonorum &
 memorie Rei post mortem damnatio Nov. 17. C. 12. Fi-
 lii infamia notantur omnibusque successionibus & hono-
 ribus excluduntur. Filia vero ex materna hereditate quat-
 tam capiunt. Quid autem dicemus si Principis imperii
 subditus committat crimen laſa Majestatis in Imperato-
 rem; An Imperator an Princeps Imperii bona ipsius con-
 filca-

fiscabit? §. Etsi juxta *Aureæ Bullæ* dispositionem c. 24.
pro Imperatore judicandum foret, attamen verior est sen-
tentia contraria pro Principe Imperii, quo ad bona quæ
sunt in ipsius territorio, sicuti à Collegio Argentoratensi
non sine ratione judicatum; quoniam per Capitulatio-
nem Gloriosissimi Imperatoris Josephi art. 26. hoc in casu
A. Bulla mutata est, cum lex posterior deroget priori,
quam poenam etiam in Saxonie receptam esse docet CARPZ.
Prax. crim. p. 1. quæst. 41. n. 92.

2.) In Læse Majestatis criminis verò inspecie (quod est
si quis alio quocunque modo contra Majestatem Principis
vel reipublicæ indire & aliquid committit l. ult. ff. ad L.
J. M. l. ult. C. de Abol.) Veluti si quis statuas Principis
jam consecratas violaverit l. 6. 7. §. ult. ff. ad L. J. M. T.
art. ann. l. i. C. 72. & 73. Si quis privatum carcere ha-
buerit l. un. §. i. C. de priv. Carcer. vel falsam monetam
cuderit l. 2. C. defals. Monet. ZIEGL. de jurib. Maj. l. C. 2.
§. 13. seqq. ubi & alia recenset exempla, Advocatus Fisci
agere debet ad leviorem & mitiorem poenam, vel capititis
vel deportationis vel relegationis §. 2. J. de publ. Jud.
Quæ poenæ tamen ex gravitate criminis sunt determinan-
da & mirum in modum variare possunt l. 24. l. 40. ff. de
poen. ad mortuum tamen liberosve non extenduntur l.f.
inf. ff. arg. l. 5. pr. 1. C. ad L. I. M. Huc etiam referuntur
Crimen quod in Majestatem Divinam committitur per
Blasphemiam (i. e. quæ malevolo animo verbis vel factis
ad concilrandum Dei honorem in Deum sunt prolata)
quorum poena iure Nov. quidem erat capitalis Nov. 77.
C. 1. §. 2. quamvis bona capropter Fisco non addiceban-
tur, per Recess. imp. de An. 1512. tit. 3. Von Gottsch.
stern §. 1. attamen in corporis afflictivam, pro qualitate

D

per-

personarum & blasphemiarum etiam infamia & capitalem si ne bonorum confiscatione mutata est per Rec. de An. 1530. & 1548. tit. von Gottes Schweren und Fluchen. In art. Carol. 106. ultimo suppicio afficitur & publicis Legibus Imperii alleg. loc. severe prohibetur: cum quibus locis etiam convenit Hoch-Gräffl. B.L.O.p.s.t. i. Contra Receptatores blasphemorum ad poenam arbitriatum quoque A. F. agere potest v. Gilh. ad art. cit. & seqq.

3) Poena adulterii (quod est vitiatio ejus que alteri nupta est, seu thori violati) de jure Divino fuit lapidatio Lev. XX. v. 10. Ioh. VIII. v. 5. De Jure Civ. autem poena non semper fuit capitalis, ceteroquin à Diocletiano à Criminibus Capitalibus adulterium excipi non potuisse, l. 18. C. de transact. nec Augusto aut Antonino Caracalla imperante capitalis fuit, nec Pauli & Ulpiani JCt. temporibus PAVL. l. 2. sentent. tit. 27. §. 13. sed fuit relegatio a missio dotis & partis bonorum; sub Constantino Imperatore vero cecepit esse capitalis conf. GERH. Noordt intrat. Dioclet. & Maxim. C. 15. & 19. Quorsum brevitatis, amore fit remissio; In Institutionibus §. 4. de publ. Jud. l. 30. §. 1. ad. L. J. de Ad. poena gladii in Adulteros sancta est, ut & in Constit. Carol. art. 120. quae poena se etiam ad Adulteriam extendit in Saxonia per Constit. 19. p. 2. Justinianus autem mitius eum foeminis procedere voluit, procul dubio ut placeret sua Theodora, dum fustigari eos jubet & postea in Monasterium detrahi Nov. 134. C. 10. hodie proh dolor! poena arbitria statuitur Menoch. l. 2. arb. quest. Cos. 419. n. 74. & seqq. B.L.O.p.s.t. 4. §. 7. §. 9.

4) Admonet etiam commissum crimen incestus (qui est coitus illicitus contra reverentiam sanguini vel affinitati)

rati debitam l. 6. l. ult. Auth. incep. C. de incep. nupt.)
 Advocatus Fisci ut non tantum dotis datæ vel promissæ
 sed omnium bonorum deficiente legitima prole, peiat
 confiscationem aut pro diversitate personæ fustigationem,
 vel relegationem inter collaterales scil. CARPZ. p. 2. q. 73.
 In Comitatu Benth. & Steinfurten si poena pecuniaria cum
 carcere temporaneo B. L. O. t. 4. n. 5. Inter ascenden-
 tes autem & descendentes in linea recta poenam gladii,
 adeo ut remissio conjugis nihil operetur: quod docet cum
 multis aliis HAKTM. PIST. l. 2. q. 13. n. 25.

5) In crimine quod non proficit (scire, (quod est illud
 quod cum bestiis vel aliis hominibus ejusdem sexus com-
 mittitur uti describitur in l. 31. C. ad L. Jur. de Adult.)
 juramentum gladio ultiore. Nam jure divino id crimen
 satis acriter vindicatum fuit Lev. XX. v. 13. jure Carolino
 art. crim. 116. autem poena ignis statuta est: bruium quo-
 que in abominationem criminis è medio tollendum, dum
 modo constet de corpore delicti, ejusque consummatio-
 ne CARPZ p. 2. q. 76. n. 50. seqq. Dn HOPP. in usu Mo-
 dern. ad §. 4. J. de publ. I. non quod bestia etiam poena
 aliqua affici possit, sed quia crimen hoc adeo detestabile
 est, ut ne quidem memoria istius superesse debeat.

6) In simplici stupro (quod consistit in carnali & il-
 licita coniunctione, cum virgine vel vidua alias honeste
 vivente l. 6. §. 1. ff. ad L. J. de A. C. L. 34. pr. §. 1. ff. d. t.
 l. 12. ff. de V. S. agit Advocatus Fisci de jure civili ad pu-
 blicationem dimidiæ partis bonorum, in honestioribus, in
 humilioribus vero ad relegationem cum fustigatione aut
 alia coercitione corporis §. J. de publ. Jud. Ubi autem
 nondum commissum, sed attentatum, stuprator incidit in
 crimen extraordinarium l. 1. inf. ff. de extra/rd. crim. Ho-

die vero plerumque carceris aut pecuniaria vel alia arbitria nisi violentum fuerit, quod capite plectitur l. 3. §. 4. ff. ad L. J. de vi publ. j. l. 1. inf. ff. de extraord. crim. const. crim. art. 119. v. B. L. O. p. s. t. 4. n. 1. 2. 3. C. 6. Si autem pupilla à tute stuperata est, deportatur & bona ejus omnia confiscantur l. un. C. si quis eam cuj. tut. fuer. coerc. & ibi BRYNN. FARIN. q. 147. n. 16.

7) In raptu virginum seu mulierum (quando quis fœminam vel virginem honeste viventem libidinis gratia rapit seu vi abducit art. 118.) petit Advocatus Fisci, ut non tantum ipse raptor, sed & illi qui auxilium præbent, mortis suppicio afficiantur l. s. §. 2. ff. ad L. J. de vi publ. J. 8. J. de publ. Jud. Hodie tamen hæc poena est mitigata in poenam arbitriam, si non violaverit rapam CLA^m SEN. ad de art. inf.

8) Bona eorum qui conscientia criminis convicti, si bi ipsis violentas manus intulerunt, sibi vindicat Fiscus tot. tit. ff. & C. de bon. cor. q. ante sent. Subjecimus, quod in dubio contra Fiscum sit pronunciandum, KLOCK. vol. 2. cons. 185. n. 75. ut & in poenis infligendis WESEN. d. ff. 39. n. 78. Possem adhuc plura delictorum genera hic recensere ac plenius deducere, in quibus Adv. Fisci jura Principis tueri debet, si disputationis modum non excendum esse perpendissim.

Jura & Prærogativæ Advocato Fisci competentia I.

Antea cum egimus de Advocatis in genere, diximus quod debant præstare juramentum calumnia? Sed Advocatus Fisci si habeat causam Fiscalem non cogitur il-
Jud

Iud juramentum præstare, licet ab eo exigatur: quoniam
necessitas agendi eum à calunnia excusat Mev p. 6. dec.
138. n. 3. KLOCK. vol. 3. conf. 191. quod & de consuetu-
dine testatur JOH. PETR. SVRD. dec. Mant. 18. n. 12. forma
pronunciandi ratione argumenti ratiis esse solet: In der
Emissions-Sachen ist der Fiscal des Juraments calumniz,
für gewendeter Einreden und Begehren unbehindert
hemit erlassen/ GAIL. lib. 1. obs. 90. n. ult. Cæsaris enim
& Imperii nomine ex generali mandato legis & constitu-
tionis imperii causas peragit, & in judicium dedit l. 1. ff.
de offic. proc. Cæs. Igitur talibus juramentis ob Majestas-
tem Mandantis gravari non debet: & alias calumniati
non præsumuntur is, quem officii necessitas excusat l. 5. §.
13. ff. de his quib. ut ind. GAIL. d. n. 4. qualitas etiam
Personæ præsumptionem excludit d. GAIL. n. 3. quod enim
expresse non mutatum quare stare prohibetur arg. l. 6. C.
de J. F. L. un. C. de Cond. & proc.

2) Si lite pulsatus fuerit, civilis aut criminalis quæ-
stionis obtentu non solvit sportulas l. 7. §. fin. C. de Ad-
voc. 2. Sed ab onere præstandarum sportularum immunis
est CVJAC. in Nov. 115. p. 115. in parat. C. tit. de sport.
Cum autem item privatam haberet, hoc privilegium ad
hunc casum non extendendum, quia privilegia sunt stri-
cti juris strictaque interpretationis, & in præjudicium ter-
riti minime extendi debent l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. publ.
conf. GAIL. lib. 2. obs. 2. n. 14. Quamvis certum modum
Imperator hic custodiri velit in l. 3. §. inf. C. de Adv. 2.
neminique præberi licentiam modum circa sportularum
exactionem, contra eos excedendi. Sumpius autem in
causa fisci ex fisco suppeditandi sunt. Juxta rec. imp. de
An. 1654. §. 18. inf. von Amtswegen auf des Fisci Ros-
ten aufrufen und verfahren.

3) Ha-

3) Habet forum privilegium de jure civili, etiam deposito officio & ejus heredes: nullius enim jurisdictioni est subjectus, nisi Comitis Orientis ut pote competentis judicis l. 3. §. fin. C. de Adv. 2. Quis autem fuerit Comes Orientis enarrat BRVNN. ad l. un. C. de offic. Com. Or. Hodie autem ipsius Vidua & eorum liberi in Camera aut eorum judicio Aulico seu supremo Principis Dicasterio conveniri debent, nisi se in alterius jurisdictionem conferant v. Rec. imp. nov. §. 141. Ord. Cam. p. 1 tit. 49. p. 2.

4) Liberi sunt à recipiendis hospitio militibus l. 3. §. 2. C. de Adv. 2. l. 18. §. 30. ff. dc munere. & hor.

5) Liberi eorum extraneis ad idem officium adspicitibus gratis anteponuntur l. 11. §. 1. l. 13. C. de Adv. 1. l. 3. §. 5. C. de Adv. 2.

6) Salarium ipsi præstatur quod de jure civili erat quotannis sexaginta librarum auri l. 6. pr. C. de Adv. 2. inter duos tamen pari lance dividenda; Hodie autem in Camera salarium Procuratoris Fisci generalis, est mille & ipsius Advocati 57½. imperialium Rec. imp. de An. 1654. in aliis locis autem secundum mores eorum accipiunt salaria.

7) Liberantur à muneribus publicis e. g. tutela §. 1. J. de excus. tut. à Cohortis vel alterius vilioris conditionis nexibus l. 8. C. de Adv. 1. una cum liberis jam natis, vel postea procreandis l. 2. C. de Adv. 2. L. 3. §. 3. C. d. t.

8) Olim durante officio honoris locum obivinebant inter spectabiles sacri Consistorii Principis Comites, postquam autem rale deposuerant officium, siquidem filios ingenuos habeant, eos Clarissimorum Notariorum inseri consilio l. 4. §. 1. 2. C. de Adv. 2. Quis autem sit Notarius Principis v. BRVNN. ad d. L. Hodie vero honos eorum

rum cum aliis recensisit privilegiis variat, v. R VITZ de Lan-
guna de offic. Reg. Fiscalis eiusque præcedentia adversus
Secretarios; Præcedentia tamen ipsiis pro Doctoribus ju-
ris competit si sint graduati alias non.

9) Si quis Patroni Fisci adeptus gradum fatalem diem
obierit totum salarium annum heredibus competit l. 15.
§. 1. C. de Adv. 1. COTAM. resp. Acad. n. 6.

10) Non possunt cogi ad præstandum aliis patrocini-
um, nequidem finito eorum officio, ut coeteri Advocati
arg. l. 13. C. de Adv. 1.

11) Suos, filiorum & parentum suorum causas vel
pupillorum quorum tutelas gerunt, causam & adversus
Fiscum agere non prohibentur l. 10. ff. de postul. de reli-
quis juribus v. l. 4. l. 6. C. de Adv. 2. In coeteris B. L. ad
PEREGR. traxt. de J. F. aliquosque Commentarios remitti-
mus, qui elegantissime hanc materiam illustrarunt;

Hisce itaque pro ingenii modulo & temporis ratione
deducatis, Deo omnis boni, autori & fonti sempiternam glo-
riam nuncupantes, huic discursui Academico imponimus

F I N E M .



Dum

DUM Tua IKENE animat tacitas facundia chartas,
 Et das ingenii nobilioris opus
 Insumpti studii non nescia nostra Thalia,
 Hoc IKENE tibi carmine vota facit,
 Sic perge & tanges exerto vertice cœlum,
 Afflabit votis aura secunda Tuis
 Omen inest coepitis, certno, felicibus ingens
 Ter mihi Cyllenia plausit ab arce Deus,
 Viro Consultissimo & Amicissimo Domino Do-
 ctorando sic applaudens gratulab.

Joh. Frid. Hombergk zu Bach/
 Prof. Jur. Ord.

QUISQUIS, undasque timet spinasque roseti,
 Non mel, non pisces, non feret ille rosas
 Omnia venduntur conatibus ardua pulchra.
 Hec virtutis iter, qui bene calcat haber.
 Accipe mercedis DOCTOR! post dura coronam,
 Est virtutis opus. Præmia tanta date
 Fiscarii TVTOR IKEN! sis fulminis Jctus,
 Impiis & falsis. Sed bonus esto bonis.
 Qui nimis est facilis dux, & placabilis iræ,
 Cultor justitiae, non solet esse bonus,
 Sic age, sic pergas, per fellea multa meando,
 Mellea sic tandem, jure tenere potes,
 Vive diu felix! floret tua messis in herbis,
 Semper amicus eris, totus amicus ero.

Viro Consultissimo ARNOLDO IKENIO, J. U. Candi-
 dato, per totum Comitatum Steinfurtensem Fiscarii
 Advocato, cum Doctoralis gradus honoribus deco-
 tabatur, sic vovebat & favebat

Joh. Bernh. Grimmelius,
 S. S. Theol. Prof. Ord. nec non Aulæ &
 Ecclesiæ Steinfurtensis Pastor.

Marburg, Diss., 1725-30

f

ULB Halle
004 165 535

3



5b.

